

speciem motus, vt patet ex rationibus in hac resolutione factis. Nec aliquid reperio apud Ruuium, quo probare videatur contrarium; tantum enim probat, quod terminus motus v.g. alterationis possit diuinitus produci in instanti, & hoc vltro concedimus; quod verò postea ait, scilicet illum motum remanere in propria sua specie motus alterationis Physicæ, hoc falsum est, nec hoc probat Ruuius; quare ad eius argumenta, cum nulla sint, non tenemur respondere.

Imò verò ad hominem contra eum sic possum argumentari: Tenet in secunda conclusione, quod motus localis non possit transire in instantaneum: vnde argumentor: sicut se habet motus alterationis ad qualitatis acquisitionem, & motus augmentationis ad acquisitionem quantitatis, ita motus localis ad acquisitionem sui termini: sed per te motus alterationis, & motus augmentationis remanentes in sua specie possunt transire in instantaneum, ergo & similiter motus localis, nam distantia medij potest vinci diuinitus: imò secundum communem opinionem in motu alterationis, & augmentationis semper includitur aliquid ipsius motus localis, ergo &c. aut è conuerso argumentor: Per te motus localis non potest fieri in instanti, ergo nec motus alterationis, nec augmentationis.

Confirmatur: Quando aliqua sunt eiusdem rationis, sicut se potest habere vnum, ita & alterum: sed motus augmentationis, & alterationis, & motus localis sunt eiusdem rationis quoad hoc, sunt enim motus Physici, & successiui, ergo quod de vno dicitur, de alio quoque dici debet; Item si ideò motus alterationis possit transire in instantaneum, quia successio non est, nisi naturale accidens eius, ita quia illa successio non est, nisi naturale accidens motus localis, poterit illa separari ab eo; tam bene enim successio est intrinseca vni, quam alteri; quòd si hoc neges, ostende disparitatem; nisi enim successio sit de essentia motus alterationis, certè motus alterationis erit essentialiter motus instantaneus; nam omnis motus aut est instantaneus, aut successiui: sicut omne animal aut est rationale, aut irrationale: Nec dicas hanc esse disparitatem, inter motum localem, & alios, quòd motus localis habeat terminum à quo, & terminum ad quem; nam motus alterationis, & augmentatio nis habent terminum à quo, & terminum ad quem, & antequam acquirant terminum ad quem, debent prius amittere terminum à quo.

Resolutio tertia: Repugnat aliquid moueri localiter, seu de loco ad locum in instanti transeundo per medium. Est aperte contra Ariminensem tenentem etiam id fieri ab Angelis naturaliter: sed probatur resolutio breuiter; quia hæc res est potius Theologica in materia de Angelis, quam Philosophica.

Primo: Si hoc fieri posset, esset, quia tolleretur resistentia medij, sed hæc ratio non valet, nam vt ostensum est partitione de vacuo, in eo nulla foret resistentia ex parte medij, attamen in eo motus non fieret in instanti.

Secundo: Quod de nouo occupat aliud, &

aliud spatium, non potest id facere in instanti, siue illud mobile sit corporeum, siue incorporeum, quia nouitas non reperitur in motu instantaneo, cum sit totus simul, sed quodlibet mobile transiens de loco ad locum transeundo per medium, de nouo occupat aliud, & aliud spatium, ergo idem non potest facere in instanti, ergo successiue.

Confirmatur: Quia prius est, quòd sit in vno spatio, quam in alio; vbi autem est prioritas, ibi est posterioritas, at vbi est prioritas, & posterioritas, ibi est successio.

Confirmatur iterum: Ponamus Angelum habentem pro sphaera sui spatij vnam leucam; velit verò ad locum distantem mille leucis peruenire, velitque transire per medium, certè euidentis est repugnantia, cum non habeat sphaeram occupatiuam spatij, nisi vnus leucæ, quòd possit simul, & semel. & in instanti pertransire illas mille leucas; sed debeat necessariò vnam prius pertransire, deinde alteram: vides ergo euidentem successiionem.

Si autem dicas in eodem instanti, quo reliquit spatium, in quo erat, esse in spatio illo distante mille leucis, hoc stare non potest, nisi dicas, non pertransisse medium; at tunc erit contra suppositionem factam: quòd si dicas in eodem instanti, quo reliquit spatium, in quo erat, est in illo toto spatio intermedio, & etiam in termino ad quem; hoc, inquam, est manifesta repugnantia; nam ex suppositione ille Angelus est occupatiuus loci tantum vnus leucæ: dici ergo nequit, quòd sit occupaturus illud totum spatium simul: nam instabo; ergo non transibit per medium, sed in loco vicino erit, nam quando ponitur status difficultatis, an Angelus moueri possit in instanti transeundo per medium? sic intelligitur, vt ita transeat per illud medium, quòd illud relinquat, & acquirat locum trans illud medium, aliter non esset transire per medium, & hanc rationem puto efficacissimam.

Tertio probatur, & est ratio Ruuij. Non potest in eodem instanti acquiri terminus ad quem, & relinquere terminum à quo: sed si aliquid moueatur in instanti transeundo per medium relinquetur in eodem instanti terminus à quo, & in eodem instanti acquireretur terminus ad quem, hoc autem repugnat, vt patet; quare nec Angelus, nec beati mouebuntur localiter in instanti transeundo per medium.

Quarto: Si Angelus in instanti posset moueri localiter transeundo per medium, certè posset esse in eodem instanti per totum mundum, sicque aliquo modo videretur immensus: imò potius nullum pertransiret medium, quia esset in toto medio simul, & in extremis; nec rationes Ariminenfis sunt alieuius momenti.

Obijcit enim *primo:* Si aliquid corpus graue descenderet de loco ad locum per vacuum, descenderet in instanti, ergo Angelus de loco ad locum mouetur in instanti, etiam transeundo per medium; quia non est maior resistentia in transitu Angeli illius, etiam si spatium sit plenum; quam respectu corporis transeuntis per vacuum. Fufissimè deducit hanc rationem Ariminenfis, sed in re ipsa nihil aliud dicit, quam hoc.

Num. 16.
Repugnat aliquid moueri in instanti de loco ad locum non transeundo per medium.

Prob. primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Num. 17.
Ponuntur quedam objectiones contra resolutionem, & soluntur.